



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Examen Confessariorum Repetitum**

**Schoonaerts, Gregor**

**Coloniæ Agrippinæ**

**VD18 14542323-001**

Regulæ dignoscendi, quando peccata multiplicentur quoad numerum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41226**

## REGULÆ

*Dignoscendi, quando peccata multiplicentur  
quoad numerum.*

Notandum, illa peccata specie differre, quæ habent specialem malitiam, & alterius rationis, ita scilicet, ut non eidem, sed diverso, ac speciali rationis dictamini repugnant, aut præcepto.

Illa differunt solo numero, quæ differunt penes multitudinem, non autem penes oppositionem cum diverso, ac speciali rationis dictamine. His dictis

1. *Quando voluntas peccandi interrumpitur,  
tot sunt numero peccata, quot sunt actus voluntatis  
moraliter interrupti propter defectum conjunctionis  
allorum actuum, vel ordinationis ad se invicem.*

Interrumpitur autem voluntas 1. propter mutationem in contrarium. Patet in fure ad auferendum determinato, rursum voluntatem mutante &c. in aperiente arcum &c. toties peccat, quoties voluntas immutatur.

2. *Quando voluntas ita se habet, ut ne quidem virtualiter censeatur manere, sed alia succedere. Patet in furibus opportunitatem quærentibus in templo, vel consortiis nunc unius, nunc alterius bursam clependi &c.*

3. *Dum voluntas versatur circa plura objecta, licet ejusdem rationis, quæ tamen sese non habent per modum unius, est quidem unus physicè actus, sed multiplex in genere moris; nam objectorum ad se non ordinatorum diversitas facit, ut morali aestimatione censeantur totidem actus*

## 42 TRACTATUS DE PECCATIS.

inter se distincti: sex proinde peccatorum reus est, qui actu unico sex occidit homines. Intoxicans puteum publicum, aut volens intoxicare, (voluntas enim efficax pro facto computatur) exprimat, quot homines inde aquam bibere solent.

## R E G U L Æ

*Cognoscendi, an quis perfectè, vel imperfectè,  
in peccatum consenserit.*

1. Si dubitans sit timoratæ conscientiæ, & magno odio prosequatur peccatum, nec soleat in ista materia peccare, præsumendum est, non adfuisse voluntarium perfectum, quia in dubiis desumitur fortissima præsumptio ab assuetis. Si verò dubitans sit conscientiæ laxæ, soleatque peccatis istis consentire, resolvendum in dubio adfuisse plenum consensum.

2. Dum ab actu interiori non proceditur ad externum, signum potest esse in persona timoratæ conscientiæ, quod non perfectè consenserit.

3. Quando quis dubitat, an fecerit aliquid in Somno, vel in Vigilia, & est anima timorata, signum est non deliberati consensus.

4. Horror peccati, timor, pœna, tristitia tam antecedens, quam concomitans, dum quis prævis motibus divexus est, quamdiu ratio superior resistit, et si in parte inferiori tentationem superare non possit, signum ordinarium est non adfuisse voluntarium perfectum: si tamen horror, tristitia, &c. orientur post actum patratum, non est signum dissensus.

CA-